

sumptibus gravarentur, in exigua terrae portione subsistere nequeunt successive sive aliorum dilabuntur, sive pauperes et egeni adeo redderentur, quod servitium rite peragere sint incapaces; Hinc in tali casu, denegata divisione, restabit investigandum, quis conturbator, et causa hujus sit, talisque Conturbator Judicio mediante puniendus et coercendus erit. Attamen ubi sufficiens pro ineunda Divisione aderit Terrenum, petita et desiderata Divisio commode fieri et peragi valebit. Pari quoque modalitate, si post peractam Divisionem iterum se unire voverint, id non licebit absque Banali vel Locumtenentiali indultu et licentia. Bos autem Divisionalis in natura sive aequivalenti pretio Domino Commissario, cui Knezij insinuabunt Divisionem, erit assignandus. Ubi vero in facto Divisionis inter Partes Divisionales aliqua emergerit difficultas, ac in collatione Fiscalitatum circa prioritatem seu potioritatem quaestio orta fuerit, in utroque Casu Negotium judicialiter definiendum et decernendum erit.

9. Incognitas, et post factam eatenus Inhibitionem Collatas Fiscalitates idem Dominus Commissarius una cum Domino Regiminis illius Auditore investigabit, et tam has, quam successive intervenientes Judicialiter pro talibus cognoscendas revidebit; a quorum collatione tantisper supersedendum erit, donec Dominis Officialibus de loco habitationis et hortis provisum fuerit; sed nec ex post venditio plus offerenti fieri poterit, verum praevia ubi opus fuerit oculata inspectione, erga unius floreni a jugere depositionem fiscalitas danda erit, ut tamen, pro augendo servitio, non vicinis terris provisum sufficientibus, sed iisdem destitutis conferantur, nisi forte tam exigua esset sessio, quod in ea nullus servitia praestiturus illocari posset, tunc tali in Casu vicinis, qui minus de terris haberent, distribui poterit, sed et in eo Condivisionalium caeteris paribus ratio habenda erit. E contra ubi intervenerit tam vasti Terreni Fiscalitas, quod duo vel etiam plures Belligerentes hospites commode subsistere possint, tunc pro capacitate Terreni eadem fiat illocatio. Quas Fiscalitates Dominus Commissarius cum opinione sua Suae Excellentiae Banali refere fine Collatoriarum, sive per eandem Suam Excellentiam, sive eatenus Authorisandum, erga moderatam Cancellariae Taxam, a floreno quippe grossos duos computando, desuper extradandarum. Res autem Mobiles juxta ubique observatam licitationem distrahantur et in pecuniam convertantur. Et vel ideo Domini Colonelli, aut alii in Commando pro tempore in suis stationibus existentes Officiales, deficientium, sive tandem domestici, sive Advenae Saeculares, aut Schismatici Popae fuerint, in continenti substantiam obsigillari, ac medio Domini Auditoris Regiminis inventari facient; quae Inventatio sine mora Domino Commissario communicanda erit; quo praesente, aut alio suo homine, Auditor substantiam distrahet, ac deducto aere alieno Commissarius ex distractis perceptas pecunias Cassae publicae inferre obligabitur. Terrae vero arabiles hactenus per Dominos Commendantes, Vice-Commendantes, aut Vajvodas possessae non vendantur, seu alii conferantur, verum in foenilia, in quantum pro iisdem idoneae reperirentur, convertantur, pro usu Minorum Officialium ad instar aliorum foenilium actu existentium deservitura. Circa porro Inventionem Auditorialem illud observandum erit, ut tantum in rebus post fata demortui in confiniis reperibilibus fiat, nullatenus vero ad res sive Militares, sive alias et bona in Regno habita extendatur. Res autem tales in confiniis post fata excedentis, et legitimos suos successores habentis reperibiles, et per Dominum auditorem legitime inventandae, una cum Litteris et litteralibus documentis, ibidem